

tu illas abi et transduce. *GE.* di tibi, Demea,  
bene faciant, quom te video nostrae familiae 20  
tām ěx animo factum velle. *DE.* dignos arbitror.—

920 quid tū ais? *AE.* sic opinor. *DE.* multo rectiust  
quām illam puerperam hac nunc duci per viam  
aegrotam. *AE.* nil enīm meliu' vidi, mi pater.  
*DE.* sic soleo. sed ěccum Micio egreditur foras. 25

MICIO      DEMEA      AESCHINVS      viii

*MI.* Iubēt frater? ubi is est? tu[n] iubes hoc, Demea?

925 *DE.* ego vero iubeo et hac re et aliis omnibus  
quam maxume unam facere nos hanc familiam,  
colere adiuuare adiungere. *AE.* ita quaeso, pater.

*MI.* haud aliter censeo. *DE.* immo hercle ita nobis decet. 5  
primum hui(u)s uxoris mater. *MI.* est. quid postea?

930 *DE.* proba et modesta. *MI.* ita aiunt. *DE.* natu gran-  
dior.

*MI.* sciō. *DE.* parere iamdiu haec per annos non potest;  
nec qui ěam respiciat quisquam est: solast. *MI.* quām hęc  
rem agit?

*DE.* hanc te aequomst ducere, et te operam ut fiat dare. 10

*MI.* me ducere autem? *DE.* te. *MI.* me? *DE.* tē ĩn-  
quam. *MI.* ineptis. *DE.* si tu sis homo,

935 hic faciat. *AE.* mi pater! *MI.* quid tū aũtem huic, asine,  
auscultas? *DE.* nil agis:

fieri aliter non potest. *MI.* deliras. *AE.* sine te exorem,  
mi pater.

*MI.* insanis: aufer. *DE.* age, da veniām filio. *MI.* satĩn  
sanus es?